Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1491
Quelle:
Copyright:

Codicem ambit Membrana continens inhibitionem et citationem factam a *Nicolao Ep. Ferentino S. Palat. Apost. caussarum Auditore*, impetrante *Joanne Ep. Luthomisl. ad Ecclesiam Pragens. capitulariter postulato, aduersus Sbinconem, qui se gerit pro Archiepiscopo Prag.* et datam *Romae apud S. Petrum anno 1404. indict. 12. die Ven. 16. m. Maji, Pontificatus Bonifacii IX. anno 15.* Cum nominibus Testium et Notarii *Conradi de Helderunge*, lectamque *Pragae die 9. m. Julii.* Item cum nominibus Testium et Notarii *Mathiae quondam Duchonis de Sladna.* De qua Lite apud Scriptores *Bohemos*, quos quidem volvi, nihil inveni.

CCCCI.

882 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 203. f. per duas columnas probe descriptus, et rubricis enotatus Exemplar est alterum *Sermonum Johannis Wiclefi de Sanctis*, ita decurrens, ut illud *Cod.* praeced. initio ducto a Natali Domini in illud: *Exiit edictum a cesare Augusto* &c. *Lucae* 2. et Sermone auspicante: *Continuando sermones sanctorum cum sermonibus dominicis* &c. Ad calcem legitur: *Expliciunt ewangelia de sanctis*, et continenter *fol.* 142. p. 2. adjunguntur, ut *Cod. cit.* XXIV. illi *Sermones* mixti, quorum primus in illud: *Caro mea vere est cibus* &c. *Job.* 16. incipit: *Hoc ewangelium alludit fundacioni sanctissimi sacramenti eukaristie* &c. Nullibi Autoris nomen.

Duobus locis Codicis occurrit Μονογραμμα e literis H. G. P. implexum liquore purpureo, cui additur: *Vidi* 1530. Thecae item posticae mandatum est Απογραφον Testimonii, quo *Hinco* (Henricus) *dictus Berka de Duba Purgrauius Pragensis et Hinco senior filius ipsius* recognoscunt: *Johannem Portulanum Portae superioris castri Pragensis, quod uocatur in Hradczanie, sanum mente et corpore Portulaniam suam cum omnibus Juribus, Pertinencijs ac vtilitatibus suis rite et rationabili vendicionis tytulo vendidisse Andreae genero suo pro certa summa pecunie.* Id, quod ratum habent et confirmant. *Datum prage anno domini* M. CCCXLVII. *in octaua festi Ephifanie domini.* En *Portulani* nomen non solum a *Portu*, aut *Portando* derivari, ut *Cangio* et *Carpentario* visum, sed etiam a *Porta*, unde *Portulanus* idem, quod modernis linguis *Pförtner*, *Portiere*, *Portier*, *Porter*, et eadem formatione, qua *Castellanus.*

CCCCII.

Codex chartaceus lat. Sec. 904
XV. Folior. 236. 4. non una manu conscriptus, rubricis distinctus et ad *Bohemiam* pertinens haec complectitur: I. *Job. Wiclefi Dialogum*, qui infit: *Cum idemptitas sit mater fastidij* &c. ut saepe alias. Ad calcem aperte:

Explicit